

eruditissimus Mabillonius, qui illud notationibus etiam explanavit. Jam gradum faciamus cum historico Cisterciensi ad annum Christi 1128, sancto Patri valde honorificum, sicut planum fiet ex dicendis occasione concilii Trecensis, quod vel invitae sua praesentia condecoravit.

153. Baronius illud intexit anno Christi 1127, sed a Pagio in Critica ad istum annum num. 11, corrigitur his verbis: « Concilium Trecense, cui Matthæus, Albanensis episcopus cardinalis, legatus apostolicus, archiepiscopi Remensis et Senonensis, variique episcopi interfuerunt, anno tantum sequenti celebratum; cum in ejus praefatione Joannes Michaelensis concilii scriba dicat, illud habitum « in solemnitate sancti Hilarii (nempe die 13 mensis Januarii) anno 1128, ab incarnato Dei Filio, ab inchoatione praedictae militiae (nempe Templariorum) 9; » qui annus incarnationis etiam notatus reperitur in codice ms. bibliothecae Victorinae Parisiensis, et in Historia Hierosolymitana Jacobi de Vitriaco. Tyrius quidem ait, concilium istud ordinem Templariorum jam a novem annis fundatum confirmasse; sed cum is annum incarnationis vel a die 25 mensis Martii, vel a die Paschatis ibi incipiat, certumque sit, concilium mense Januario congregatum, Tyrius non nisi de mense Januario sequentis Christi anni interpretari potest; et male aliqui viri docti, cum ad ejus annos incarnationis numerandi modum animam non advertissent, vel numeros apud Tyrium mendose descriptos esse causati sunt, vel ad vanas interpretationes recurrere. Annus itaque aere Dionysianae 1128, mense Januario erat adhuc annus 1127 Tyrio, et nonus exiens a fundatione ordinis Templariorum. » Haec de anno concilii, de actis autem ejus tractatur ex Guillelmo Tyrio, lib. xii, c. 7. apud Labbeum tomo XX, Conciliorum, col. 922.

154. Matthæus itaque, sedis apostolicae legatus ac concilii praeses, quo negotiis in eodem pertractandis majus etiamnum auctoritatis pondus adjiceret, praeter Remensem ac Senonensem praesules, eorumque suffraganeos, abbates, ex Guillelmo Tyrio, quem modo citabam, Cisterciensem, et Clarævallensem, quibus etiam ab eo additur Pontinacensis cum aliis pluribus, eidem concilio interesse voluit. « Verum Bernardus, inquit Manricus ad hunc annum, cap. 1, num. 3, qui semel proposuerat monasterio non egredi, ut ad Petrum Leonis, cardinalem item legatum, ante duos annos dederat in litteris, aegre sane, nec sine magna difficultate ayulsus est, nihil non causans, nihil non excusans, et neque infirmæ, qua definebatur, valetudini, nec propriae insufficientiae parcens. » Exstat de illis rebus S. Bernardi epistola 21, ad Matthæum legatum, qua se excusat, quod vocatus ad negotia tractanda, non accesserit. Data indicatur apud Mabillonium col. 38, sub finem anni 1127. Quis autem Matthæus iste fuerit, de quo supra recurrit sermo, ibidem observat: « Matthæus, ait, ex canonico Remensi monachus Cluniacensis apud S. Martinum

A de Campis, dein cardinalis, et episcopus Albanensis, vir mirae sanctitatis, ex Petro Venerabili, is est ad quem haec epistola scripta est, instante concilio Trecensi anni 1128, ex fusioribus notis col. 16. Porro istius epistolae characteres sunt hujusmodi, ut mirificam sancti modestiam inspirent lectori, et luculentissimae sint testes, virum in aliorum oculis tam magnum, in suis vere parvulum fuisse: quibus item haec submissae obedientiae clausula finem imponit: Vos tamen (vobis dico, Pater) noveritis, quia paratus sum, et non sum turbatus, ut custodiam mandata vestra. Vestrae autem indulgentiae erit, parcere mihi, ubi parcendum decreveritis. »

B 153. Ejus ad Theobaldum, comitem Campaniae, epistolam quid memorem? Legi ea potest apud Mabillonium col. 51, estque numero trigesima nona, anno Christi 1127, ibidem illigata: in qua eum hortatur, ut erga episcopos, concilii causa in ejus civitate Trecensi constitutos, honorifice et reverenter se gerat. Fragmentum ejusdem postquam recitasset Annalista Cisterciensis num. 5. « Hactenus, ait, sanctus Pater ad Theobaldum; ut sibi latebras, sic Ecclesiae honorem appetens, et reverentiam praelatis exhibendam, quorum se dignum consortio non judicabat. » De litteris, quas a Sancto ad Petrum Leonis scriptas citabat paulo ante Manricus, observa nonnulla per transennam, ut ita loquar. Mabillonius in notis ad epistolam 47, col. 35, quae Petro diacono cardinali et legato inscribitur, haec animadvertit: « Petrus iste alius sine dubio est a Petro itidem legato, sed presbytero cardinale, ut probavimus in praefatione ad hunc tomo. » Et mox subjicit, quisnam Petrus iste videatur esse. Pagius in critica, Baroniana ad annum Christi 1125, agens de Petro cardinale legato, quem misit Honorius PP. II, contra Pontium, Cluniacensem olim abbatem, ac monasterii eorum invasorem, num. 3, statuit hunc esse « diversum a Petro Leonis, quia is cardinalis presbyter erat jam ab anno 1120, juxta Onuphrium, et certo certius anno 1121, ut eo, ait, anno vidimus. Deinde Petrus hic, cui causa Pontii ab Honorio II, commissa, alius ipsi esse non potest, quam Petrus diaconus cardinalis et legatus, ad quem divus Bernardus scripsit epistolam ordine 17, qui legatio ejus nullo alio per haec tempora anno peracta esse potuit, quam currenti; unde deducit, eam divi Bernardi epistolam, quam Mabillonius circa annum 1127, datam notat, ad hunc omnino annum pertinere, » uti et alias duas, videlicet 18, et 19, ab eodem ad eundem Petrum cardinalem et legatum datas; « cum anno sequenti, sicut addit, Humbaldus archiepiscopus Lugdunensis, et Gerardus episcopus Engolismensis legatione Gallica functi sint. Mabillonius, in praefatione ad editionem operum S. Bernardi abbatis 2, num. 39, jam suspicatus fuerat, Petrum diaconum cardinalem et legatum, cui praefata Bernardi epistolae inscriptae sunt, eum fuisse qui, adversus Pontium abba-

tem Cluniacensem in Galliam, accessit ex mandato Honorii papae; sed id apud me certum et indubitatum. » Hactenus Pagius, qui etiam ad annum Christi 1127, num. 12, observat, epistolam decimam septimam S. Bernardi male a Baronio revocari ad concilium Trecense; dnm enim sanctus abbas excusat in ea, quod vocatus non venerit... ibi... de alia professione nobis, inquit, ignota sermonem habet.

156. Quod vero attinet ad concilium Trecense, cui sanctum doctorem una cum pluribus aliis dicebamus interfuisse, quid referam viri auctoritatem, qua solis ad instar inter alios ejusdem synodi Patres fulsit? Apud Miræum enim, in Chronico Cisterciensi ad annum 1128, illorum nomina recensentem, habentur ista: « Supra nominatus abbas Bernardus Clarævallensis non defuit; ejus sententiam praescripti Patres libera voce collaudabant. » Haec etiam exstant apud Labbeum tomo X, Conciliorum col. 924. In Prologo autem ad regulam Templariorum ibidem col. 923, et apud Miræum, modo citatum, quae in dicto concilio Trecensi illis est data, ab eodem fuisse commissam sancto abbati, testatur saepe memorati concilii scriba: « Ego Joannes Michaelensis praesentis paginae, jussu concilii, ac venerabilis abbatis Clarævallensis (Bernardi) cui creditum ac debitum hoc erat, humilis scriba esse divina gratia merui. » Quæri autem hoc loco potest, an Sanctus composuerit regulam Templarii praescriptam. Affirmat Manricus ac Miræus; negat Mabillonius volumine primo in admonitione ad opusculum sextum ipsius Sancti, tomi II, De laude novae militiae ad milites Templi inscriptum, cui opusculo, quod exstat col. 543, et sequentibus, editor ille in rem praesentem ista praemittit:

157. Templariorum regulam ex codice Victorino typis mandavit Miræus, eamque Chronico Cisterciensi inseruit « utpote a S. Bernardo, inquit, abbate Clarævallensi (ut ex Prologo patet) dictam. » Regula haec totidem capitulis, quod Regula S. Benedicti, ex qua magna ex parte de verbo sumpta est, constat, id est capitulis 72. Sic vero inscribitur ante prologum: « Regula pauperum commilitonum Christi, Templique Salomonici. » Manricus, ad annum 1128, cap. 2, hanc regulam Bernardo auctori cum Miræo tribuit, ad idque probandum duo loca adducit ex prologo. Primus locus sic habet: « Sane autem prorsus licet nostri dictaminis auctoritatem permixtus numerus religiosorum Patrum, qui in illo concilio divina admonitione convenerunt, commendat; non debemus silenter transire, quibus videtur, et veras sententias proferentibus, ego Joannes [Michaelensis praesentis paginae, etc.], » quae nos paulo ante jam dedimus. Verum haec verba non significant ullam regulam a Bernardo pro Templariis fuisse compositam; sed eum in Joannem Michaelensem rejecisse impositum sibi scribae officium. Neque quidquam amplius conficitur ex sequentibus verbis, quae post enumerationem Patrum Trecensis concilii hoc modo referuntur.

A 158. « Ipse vero magister militiae, Hugo nomine, revera non defuit, et quosdam de Fratribus suis secum habuit, verbi gratia, F. Godefridum, F. Rovallum, F. Gaufridum Bisol, F. Paganum de Monte-Desiderii, Archembaudum de sancto Aniano. Iste vero magister Hugo cum istis discipulis modum et observantiam exiguae inchoationis sui militaris ordinis, qui ab illo, qui dicit: Ego principium, qui et loquor vobis, sumpsit exordium, juxta memoriae suae notitiam supra nominatis Patribus intimavit. Placuit itaque Concilio, ut consilium ibi lima et consideratione divinarum Scripturarum diligenter examinatum, tamen cum providentia papae Romanorum ac patriarchae Hierosolymitarum, necnon etiam assensu Capituli pauperum commilitonum templi, quod est in Hierusalem, scripto commendaretur et inenodabiliter servaretur. » Quibus verbis id tantum a Patribus sancitum fuisse intelligimus, ut militibus regula ex eorum consensu, consultis Romano pontifice et patriarcha Hierosolymitano, praescriberetur; sed Bernardus ejus auctor nequaquam asseritur. Quinimo Albericus ordinis Cisterciensis eidem militibus regulam sancti Augustini impositam scribit. Unde in monastico Anglicano ad ordinem sancti Augustini revocantur. Permirum esset, si Albericus Triumphontium haud longe a Claravalle monachus Cisterciensis, hanc Bernardi regulam ignorasset, et pro illa militibus, qui ejus tempore supererant, aliam tribuisset. » Haece ob rationes eruditissimus Mabillonius confectionem regulae praedictae adjudicat S. Bernardo, quibus non acquiescens, alias istis ita superaddit:

C 159. « Guillelmus Tyrensis episcopus, in jam dicti libri xii cap. 7, tradit, eidem militibus, qui ante concilium Trecense non nisi novem erant, de mandato domini Honorii papae, et domini Stephani Hierosolymitani patriarchae, fuisse institutam regulam, et album habitum assignatum » cum antea vulgari usi essent. « Postmodum vero tempore domini Eugenii papae, ut dicitur, cruces de panno rubeo mantellis suis caeperunt assuere » tam equites « quam eorum fratres qui dicuntur, servientes. Quorum res adeo crevit in immensum, ut hodie (inquit Guillelmus) » trecentos plus minusve in conventu habeant equites, « albis chlamydis indutos, exceptis fratribus. » Ex his postremis verbis conficimus, regulam illam, quae Bernardo auctori tribuitur, non nisi post Guillelmum Tyrensem scriptam fuisse: quandoquidem in cap. 21 notantur quidam « pseudofratres ex ultramontanis partibus, mentientes se esse de Templo et quaedam apud ipsos milites sine discretionem ac consilio communis capituli succrevisse penitus amputanda » arguuntur, nempe quod « habebant olim famuli et armigeri alba vestimenta, unde veniebant damna importabilia. »

D 160. « Nullum vero generale capitulum Templariorum fuit ante concilium Trecense: nullus antea peculiaris militum habitus, sed vulgaris. Albus eis concessus est a Patribus concilii, exceptis ser-

vientibus. Plane vel ex his solis verbis intelligitur, hoc saltem capitulum longe post tempus concilii fuisse ascriptum. capitulum 7, « stando divinum officium audiri » non solum non laudat, sed etiam vituperat, statuitque audiri sedendo. Quod sane statutum in Bernardi mentem non venisset. In Capitulo 61 statuitur ut amplius sorores non habeantur. Quod arguit non fuisse recens institutum. An Joannes Michaelensis istius regulæ auctor sit, aliis judicandum relinquo. » Quod vero Pater sanctissimus etiamsi non in hac re, alibi tamen bene meritus fuerit de Templariis, narrat Manricus, cap. 3, num. 5 et 6.

§ XVI. *Querelæ curiæ Romanæ a sancto doctore dilutæ, famosum schisma pseudopapæ Anaclei ab ipso compressum; annus cædis venerabilis Thomæ, prioris Victorini.*

161. Negotia boni publici, ad quæ Bernardus vel invitus non raro accersebatur, magnas adversus eum querelas, ne dicam odia, concitarunt. Rei hujus summam, ab historico Cisterciensi ad annum Christi 1129 pluribus recensitam, non est necesse huc transcribere; cum satis ea possit intelligi ex epistola sancti 48, quæ est inscripta Haimericum Romanæ sedis cancellario, et in qua injustas contra se querelas forti ac intrepido calamo diluit. En tibi itaque, lector, excerptum ex eadem epistola fragmentum. Observa autem scriptum illud non dirigi ad solum cardinalem Haimericum, sed ad alios etiam cardinales, quos fraternitatis nomine appellat; de quo consule Mabillonii notas ad hanc epistolam. Unde consequens est, Romanam curiam obloquiis contra eum personuisse, ut non obscure e Viri sancti rescripto conficitur, e quo hæc delibo: « Etiamne pauperi et inopi veritas odium parit? Et ne ipsa quidem miseria declinare invidiam potest? Querar, an glorier, quod factus sum et ipse inimicus vera dicens? vera dicens, an recta agens?... Quid in me, o boni viri, displicuit fraternitati vestræ? Utrumme, quod apud Catalaunum amotus est a villicatione sibi credita homo usquequaque diffamatus, quia in ecclesia Virdunensi, cui præfuerat, dissipasset bona domini sui? An quod in urbe Cameracensi monasterii sui manifestus destructor Fulbertus cedere compulsus est Parvino, qui omnium testimonio fidelis est servus et prudens? An certe quod Lauduni de prostibulo Veneris suum Deo sanctuarium restitutum est? Propter quod horum me, non dico lapidatis, sed laceratis, ut minus aliquid recipiam a domino meo? Et hoc merito, atque cum omni gloria responderem, si quid in eis meum cognoscerem.

162. « Nunc autem, ut quid judicor ego de factis alienis? aut si meis, cur tanquam de malis? Cum cuncta hæc juste atque præclare gesta fuisse, nulla imprudentia dubitare, nullam negare impudentiam possit... Novum genus detractionis, et revera simile aliquid habens operi Balaam, qui ductus et conductus ad maledicendum populo, magis benedictio-

nibus cumulabat... At... nil mea refert de his, quorum auctor non exstiti. Laudent si volunt, vel vituperent, si audent; de primo quidem dominum Albanensem; de secundo vero dominum Remensem; porro de tertio eundem æque archiepiscopum simul et episcopum Laudnensem, cum rege pariter et multis aliis reverendis personis, qui se utique auctores in his et principes exstitisse minime diffidentur. Si bene egerunt, quid ad me? Si aliter, quid æque ad me? An tota, et sola culpa mea est, quod adfui, homo solis latebris dignus?... Adfui..., negare non possum: sed vocatus, sed tractus. Utinam non issem ad illa! Utinam non irem ad similia! Utinam et nuper non issem, ubi vidissem adversum Ecclesiam apostolica (pro dolor!) auctoritate (Vide epistolam 46 et 47.) violentam armari tyrannidem, quasi non satis per se insanisset. Tum demum sensi juxta prophetam adherescere linguam meam palato meo, etc.

163. « Propter hujusmodi, etsi aliud non sit, gravor interesse causis, quarum præsertim mea non interesse cognosco. Gravor, sed trahor. At vere ab hac necessitate per quem melius retrahi posse speraverim, quam per vos, vir optime?... Indicatur, si placet, clamoris et importunis ranis de cavernis non egredi, sed suis contentas esse palatibus. Non audiantur in conciliis, in palatiis non inveniantur: ad causas, ad negotia nulla necessitas, nulla trahere possit auctoritas... Non tamen idcirco etiam me latente et tacente cessare puto murmur ecclesiarum, si non cesset Romana curia pro voluntate assistentium facere præjudicium in absente. Valet. » Sic injustas contra se querelas acriter diluit Vir magnus, eo nimirum ab objecta respondens liberius, quo in culpæ nescia et ingenti virtutum comitatu circumscripta conscientia staret securus obloquiorum. Nonnulla quæ in recitato fragmento occurrunt, explanatur apud Mabillonium tum in notis brevioribus ad dictam epistolam; quibus adde fusiores colum. 22. Manricus ad annum Christi, quem antea ex ipso signabam 1129, cap. 7, numer. 8, refert S. Bernardi vaticinium; sed de eo inferius.

164. Quod scripserat sanctus doctor in epistola ad Haimericum paulo ante citata, « consilium sibi esse et propositum, nunquam (si causa duntaxat nostri, inquit, ordinis non fuerit) exire de monasterio, nisi aut apostolicæ sedis legato, aut certe proprio vacante episcopo, quibus nostræ humilitati, sicut optime nostis, contradicere omnino fas non est, nisi ex quocunque superioris auctoritatis privilegio; » quod, inquam, sanctus doctor tunc scripserat, suum boni publici causa e monasterio ac amata sibi solitudine egressum æquissimis istis conditionibus restringendo, locum habuit anno Christi 1130 occasione famosi schismatis; quod male feriatum ac turbulentum pseudopapa Petrus Leonis, assumpto nomine Anaclei, adversus Innocentium PP. II, in Ecclesia Dei concitavit. Argu-

mentum hoc cum unum sit e præcipuis ornamentis, quibus S. Bernardus immortale apud posteros nomen promeritus est, et gloriam nulla oblivione delendam, mirari non debemus, illud ab eruditissimo Mabillonio secundis curis ad incudem revocatum, et ex variis veterum monumentorum documentis illustratum in egregia illa præfatione generali, quam Bernardi Operibus a se recensis præfixit, § 4. Quam itaque laudato Mabillonio, de republica litteraria tot aliis monumentis, quæ in lucem dedit, adeo præclare merito, debemus lucubrationem, hoc loco non quidem totam, sed quoad in rem nostram fuerit satis, recudere visum est. Ea vero quæ verbis aliorum intexuit de suo idem auctor, parenthesi includam.

165. « Etsi, inquit Baronius, aliique scriptores ecclesiastici, de schismate, post Honorii II obitum anno 1130, Innocentium inter et Anacletum confato, multa scripsere; nonnulla tamen ampliori explicatione egent, quæ ex veterum monumentorum lectione supplere conabimur. » Deinde, paucis interjectis, præsentem materiem laudatus Mabillonius ita deducit et illustrat: « Petrus Leonis, ex gente Leonina Romanus, ex monacho Cluniacensis creatus est primum, si Onuphrio credimus, a Paschali II diaconus cardinalis tit. sanctorum Cosmæ et Damiani: dein a Callisto II presbyter cardinalis sanctæ Mariæ trans Tiberim, tit. Callisti, anno 1120. « Fuit hic Petrus (uti ex Chronico Mauriniacensi discimus) Petri filius, filii Leonis. Leo vero a Judaismo Pascha (id est transitum) faciens puto murmur ecclesiarum, si non cesset Romana curia pro voluntate assistentium facere præjudicium in absente. Valet. » Sic injustas contra se querelas acriter diluit Vir magnus, eo nimirum ab objecta respondens liberius, quo in culpæ nescia et ingenti virtutum comitatu circumscripta conscientia staret securus obloquiorum. Nonnulla quæ in recitato fragmento occurrunt, explanatur apud Mabillonium tum in notis brevioribus ad dictam epistolam; quibus adde fusiores colum. 22. Manricus ad annum Christi, quem antea ex ipso signabam 1129, cap. 7, numer. 8, refert S. Bernardi vaticinium; sed de eo inferius.

166. « Ea tempestate inter regem Teutonicorum, qui ex successione Caroli Magni Romanorum patricius erat, et Ecclesiam Romanam illa turbulentissima de investituris orta est seditio. In qua vir ille in tantum armis strenuus, consilio providus, et Ecclesiæ Romanæ fidelis exstitit, ut ei cum cæteris munitionibus, quæ Romæ sunt, illam quoque, quæ illius urbis videtur obtinere similitudinem, turrim dico Crescentii, quæ a parte Galliarum in parte Tiberini pontis sita est, Papa committeret, et eum præ cæteris familiarem haberet. Hac occasione mirabiliter accrescens, quotidie sui melior efficiebatur, et divitiis, possessionibus, honoribus augmentabatur. » Hæc præmittenda fuerunt, quoniam ex Petri genere, judaismo, potentia, turre Crescentii, arcem sancti Angeli appellant, qua Anacletus se tutabatur, pendet rei gestæ notitia. Pergit Chronographus Mauriniacensis. « Inter cæteram sobolem, cujus plurima multitudo sexus utriusque a quibusdam Antichristus gloriabatur, genuit hunc Petrum, de quo sermo nunc est; qui litteris traditus, a quibusdam Antichristi præambulus appellabatur. (Hoc convicium ex consequentibus seu

ex eventu ei impositum existimem.) Iste, studii gratia, Gallias atque Parisios adiit, et cum repatriaret, apud Cluniacum, ditissimum atque sanctissimum cœnobium, monachilem habitum induit. Aliquantisper ibi regularibus institutionibus imbutus, a papa Paschali II patris admonitione retrahitur ad curiam, et cardinalis effectus tempore Callisti papæ, cum eodem Gregorio, qui postea Innocentius II, missus ad Gallias, Carnoti Belvacique concilia celebravit. » Nulla hic mentio de titulo diaconi cardinalis, quem titulum Petro Leonis a Paschale concessum fuisse Onuphrius tradit. Qua in re potior est auctoritas chronographi Mauriniacensis, ejus temporis æqualis.

167. « Gregorius diaconus Cardinalis tit. sancti Angeli ab Urbano II creatus dicitur, ac deinde legatus a Callisto II, in Galliam missus cum Petro Leonis anno 1124. Sagiam Neustriæ civitatem cum eo accessit, teste Orderico in libro XII, p. 877. De hac legatione ita scribit Vincentius in libro secundo de Vita Stephani Grandimontensis cap. 49: « Excellentissimi quoque cardinales, Gregorius et Petrus Leonis, inter quos postmodum de papatu schisma fuit, cum in Galliam missi, in partibus Lemovicis legatione sua fungerentur, ad hunc virum Dei (Stephanum) pariter convenerunt. » Et quidem constitutioni Sugerii abbatis anno 1125 subscripserunt ambo ut legati, apud Chesnium tomo IV, pag. 347. « Ego Petrus, sedis apostolicæ presbyter cardinalis et legatus, laudo et confirmo. Ego Gregorius, sancti Angeli diaconus cardinalis, et apostolicæ sedis legatus, » etc. Eodem tempore Bernardus quasdam epistolas scripsit Petro diacono cardinali legato, nimirum epistolas 17 et sequentes, quem ipsum esse Petrum Leonis aliquando cum Manrico opinatus sum. At cum Petrum illum, cui Bernardus scribit, diaconum, non presbyterum cardinalem fuisse constet; epistolæ illæ Petro Leonis convenire non possunt.

168. « Interea moritur Honorius pontifex, medio Februarii anni 1130. Præcedentem assignat chronographus Mauriniacensis, de more Gallicano, quo novi anni initium a Paschate deducebatur. Tum « cardinales (ait idem chronographus) qui cum cancellario (Haimericum) inibi aderant, et Honorio infirmanti assederant, Gregorium quemdam (eum scilicet, quem modo laudabamus) scientia ac religione præclarum, sibi præficiunt, et nimis festinanter, ut a quibusdam dicitur, pontificalibus induunt insignibus. Id illius gratia dispensationis factum dicunt, ut Petrum quemdam, qui sæculariter ad papatum videbatur aspirare, spe sua frustrarentur. Fuit hic Petrus, Petri filius, filii Leonis » et cætera, quæ superius de eo retulimus. Factum clarius exprimit Sugerius in libro de Vita Ludovici Grossi, apud Chesnium inter Historiæ Francorum scriptores tomo IV, pagina 317, ubi ait: « Romanæ Ecclesiæ majores et sapientiores (extincto Honorio) ad removendum Ecclesiæ tumultum (consensisse) apud sanctum Marcum et non alibi, et non nisi communiter Romano

more celebrem fieri electionem, [At] qui assiduitate et familiaritate propinquiores apostolici fuerant, timore tumultuantium Romanorum illuc convenire non audentes, antequam publicaretur domini papæ decessus, personam venerabilem, cardinalem de sancto Angelo diaconum Gregorium, summum elegerunt pontificem. Qui autem Petri Leonis parti fauebant, apud sanctum Marcum pro pacto alios invitantes convenisse, dominique papæ morte comperta, ipsum eundem Petrum Leonis, cardinalem presbyterum, multorum et episcoporum, et cardinalium, et clericorum, et Romanorum consensu votive elegerunt sicque schisma perniciosum conflatum fuisse.

169. « Prior itaque erat Innocentii electio, sed præproperea, nec ab universo eligentium cœtu facta. « Cum autem Petri Leonis pars tum parentum suffragio (addit Sugerius) tum Romanæ nobilitatis præsidio prævaleret (Innocentius Urbem deserit, et ad partes Galliarum navigio descendit) nuntiisque ad regem Ludovicum destinatis (ejus opem efflagitat. Quam ob rem Ludovicus Stampas indicit) concilium archiepiscoporum, episcoporum abbatum et religiosorum virorum, et eorum consilio magis de persona, quam de electione investigans. » Innocentio dat manus, auctore Bernardo in cuius suffragio totius concilii vota convenerant, teste Ernaldo in libro secundo de ejus Vita, cap. 1. Sub hæc Sugerius, uti ipse persequitur, mandato regis obviam Innocentio missus Cluniacum usque, cuius loci abbas Petrus Venerabilis et monachi Anacleto, monacho quondam suo, Innocentium prætulerant, ut postea notabimus ad epistolam 126. Rex ipse usque ad Floriacense S. Benedicti monasterium cum regina et filiis suis papæ occurrit, et regium verticem « tanquam ad sepulcrum Petri inclinans, pedibus ejus procumbit. (Ejus exemplo res Angliæ Henricus, itidem Innocentio) Carnotum occurrens, devotissime pedibus ejus prostratus (suum suorumque obedientiam ei promittit. Innocentius vero) visitando Gallicanam Ecclesiam, ad partes se transfert Lotharingorum: cui cum imperator Lotharius civitate Leodii cum magno archiepiscoporum et episcoporum, et Teutonici regni optimate collegio celeberrime occurrisset, in platea ante episcopalem ecclesiam humiliter se ipsum stratore offerens, pedes per medium sanctæ processionis ad eum festinat, alia manu virgam ad defendendum, alia frenum albi equi accipiens, tanquam dominum deducebat. Descendente vero tota statione, eum suppodando deportans, celsitudinem paternitatis ejus notis et ignotis clarificavit. » Hæc anno 1130 gesta: Ubi Sugerius silet de Bernardo, quem assiduum Innocentii comitem itineris per Galliam fuisse ex Ernaldo discimus, »

170. Deinde observat Mabillonius, « quid tunc temporis Leodii actum sit, citans Annales Magdeburgenses seu Saxonicos mss. ad annum 1131: quo Dominica ante mediam Quadragesimam, XI Kal. Aprilis, celeberrimus conventus xxxvi episcoporum et principum fit Leodii, domno apostolico Innocen-

tio et rege Lothario ac regina presentibus. » Hoc consilium præcesserat synodus Wirceburgensis, uti habent iidem Annales, ab auctore æquali scripti, videlicet « concilium xvi episcoporum, mense Octobri a rege accitum, cui adfuit archiepiscopus Ravennæ, apostolicæ sedis legatus: ubi Gregorius, qui et Innocentius... a Lothario rege et omnibus ibi congregatis eligitur et confirmatur. » Post conventum Leodiensem Innocentius, teste Sugerio remeant in Franciam, Paschæ festum apud S. Dionysium transigit, et « transactis tribus post Pascha diebus (Parisios accedit). Exinde Galliarum ecclesias visitando... cum per terram aliquantisper deambulasset, Compendii demorari elegit. » Subinde concilio Remis, habito, ut tradit Sugerius, et quidem « xiv Novembris » testante Dodechino, ibidem Ludovicus Junior regia insignia ab Innocentio accepit viii Kalendas easdem, prout notavit Robertus Sigeberti continuator. « Annales Saxonici mss. ad annum 1131: Innocentius papa, iterum collectis ecclesiasticis viris (id est post synodum Leodiensem) et fidelium turbis, apud Remensem urbem in festo sancti Lucae grandi synodo per aliquot dies præsedebat. » Addit Sugerius, papam « soluto concilio » Autisiodori moras egisse, ac demum cum Lothario repetiisse Italiam. Autisiodori moram chronographus concilio Remensi postponit.

171. « Ernaldus, in libro secundo de Vita Bernardi cap. 1, concilium Remense ante Leodiense collocat, atque Innocentium Leodio Claramvallem, ac deinde, post brevem in Gallia moram, cum Lothario Romam contendisse scribit. At synodum Remensem Leodiensi posteriorem esse constat tum ex Sugerii narratione, tum ex Annalibus Saxonis, sed maxime ex chronico Mauriniacensi, in quo Innocentii iter accurate describitur; cuiusque mox textus a Mabillonio subijcitur, uti et alia, quæ ibidem, ne abeamus justo longius, videri possunt. Petrus interea temporis, seu Anacleto, nihil non molitur, ut quoscunque insigniores viros ad partes suas adjungat. Ex episcopis ei adhæsit Girardus Engolismensis, qui cum legati munus sub pontificibus proximis gessisset, illud idem vel ab Anacleto impetrare in votis habuit. Idem Guillelmum Pictavorum comitem ad Anacleto pertraxit. Præterea, Rogerium Apuliæ ducem ut sibi consiliaret Anacleto, sororem suam ei tradidit uxorem, eumque Siciliæ regem coronavit, teste Orderico in libro xii... Tot tantæque turbæ, quas fusi fortasse quam locus pateretur, hic descripsimus, multum negotii Bernardo facerent, qui varias epistolas circumquaque scripsit ad conciliandos Innocentio schismaticos, et continendos in officio fideles: varia item itinera ejusdem rei causa suscepit, ut ex sequentibus epistolis, et ex Vita lib. II, cap. 6 et 7 intelligitur.

172. « Superest hic agendum de Girardo Engolismensi episcopo, cuius mores egregie descripsit Arnulfus, tum Sagiensis archidiaconus, dein episcopus Lexoviensis, in tractatu adversus eum edito,

quem Acherius noster in tomo secundo Spicilegii typis vulgavit. Indignissima ejus facinora deinde pluribus a Mabillonio depinguntur ex eodem auctore. Per funestâ porro illa ac diuturna schismatis illius tempora quantos Bernardus labores sustinuerit, quot itinera confecerit, ex ejus Vita et epistolis, ut jam diximus, intelligitur. Hujus rei causa ter in Italiam profectus est, ejusque tandem opera schisma compressum, mortuo Anacleto anno 1138 cui schismatici Victorem antipapam substituerunt « non tam pertinacia schismatis, quam ut opportunus per aliquam temporis moram papæ Innocentio reconciliarentur. (Et re quidem ipsa Victor) ad virum sanctum (id est Bernardum) nocte se contulit, et ille eum, nudatum quidem usurpatis insignibus, ad domini Innocentii pedes adduxit » sicut testatur Ernaldus in Vita, lib. v, cap. 2, num. 137, apud nos. Atque hic funestissimi ac diuturni schismatis finis, quod curis ac laboribus indefessis sancti nostri herois Bernardi felicissime ac honorificentissime compressum fuit, res ab illo in hac causa gestas pluribus memorante Ernaldo, quem modo indicabam, a num. 129, cuiusque narrationi lucem afferent ea, quæ antea præmisi e Præfatione Mabillonii. Verum hisce nonnulla sigillatim attexere, præsentis nostri instituto accommodatum censeo.

173. Illud imprimis memorabile pariter ac Sancto admodum gloriosum, quia apparuit os suum et Spiritus sanctus implevit illud, uti testatur Ernaldus cap. 1, num. 85, ab eodem utique Spiritu electus, ut concilii Stampensis in gravissimo hoc negotio unus Bernardus Patrum omnium in illo congregatorum os et lingua foret. « Unus enim omnium ore locutus, ex eodem biographo, suscipiendum ab omnibus summum pontificem Innocentium nominavit: et ratum esse omnes pariter acclamarunt, et decantatis ex more laudibus Deo, obedientiam deinceps polliciti, electioni Innocentii omnes pariter subscriperunt. » Alia verò, quæ vir sanctus in hac causa egit, cognoscimus ex ejus epistolis. Etenim in ea, quæ est numero centesima vigesima quarta, hortatur Hildebertum Turonensium archiepiscopum, ut Innocentium agnoscat legitimum pontificem, et inter alia plura in ipsius favorem ita recenset juris illius prærogativas: « Funiculus triplex difficile rumpitur. Electio meliorum, approbatio plurium, et (quod his efficacius est) morum attestatio, Innocentium apud omnes commendant, summum confirmant pontificem. » Et in epistola 125 ad Gaufridum de Loratorio, de quo consule notam Mabillonii, operam ejus requirit in asserendo pontificatu Innocentii, quem « merito, ait, recipit Ecclesia; cuius et opinio elarior, et electio sanior inventa est, nimirum eligentium et numero vincens et merito. » Denique in epistola 127 ad episcopos Aquitanie, causam eandem egregie tuetur adversus Gerardum Engolismensem, schismatici partes agentem, cuius mores depingit, et subterfugia eludit.

174. Cæterum quæ ad Guillelmum ejusdem Aqu-

taniæ comitem, ad Anacleto partes a Girardo Engolismensi episcopo nefarie pertractum pertinent, Manricus quidem narrat ad annum 1130, cap. 4; sed nos ea uti et alia differimus in aliud tempus, quo agemus de ejus per S. Bernardum conversione ad meliorem vitam. Idem auctor ibidem cap. 5 refert, quidnam vir sanctus egerit in causa venerabilis Thomæ, Sancti-Victoris Parisiis prioris, sacrilege trucidati; sed Pagius, in Critica Baroniana ad annum Christi 1135, num. 5, probat contra varios, quos ibidem allegat, eadem ejus pertinere ad annum 1133, quam temporis rationem ante ipsum etiam ostenderat Mabillonius in notis fusioribus ad epistolam 158 S. Bernardi. Citatus Annalium Cisterciensium conditor cap. 6, num. 8, S. Bernardum a Januensibus postulatum fuisse præsulem scribit (Vide Ernaldum lib. II, Vitæ, cap. 3) sed frustra; observans illi evenisse illud Guillelmi lib. I Vitæ, cap. 14: « Cum dignus esset, ut cogereetur, nescio quo judicio Dei, et singularis reverentia sanctitatis jam olim apud omnes obtinuit, ne aliquando ad aliquid contra suam voluntatem cogatur. »

§ XVII. Iter Leodiense Innocentii PP. II cum S. Bernardo; qui jus Ecclesiæ defendit contra Lotharium regem; excursio, ut fertur, in Arlesiam; Guerrici ac multorum aliorum conversio; Innocentius PP. visit Claravallenses; S. Bernardi in concilio Remensi auctoritas; insule Catalaunenses ab eo recusatae.

175. Chronographus Cisterciensis, relatis ad annum Christi 1131, cap. 1, Innocentii PP. II cum S. Bernardo ad Leodienses itinere, et honorifica post eorum adventum susceptione, quam Lotharius rex vicario Christi exhibuit submissa admodum erga eundem reverentia, sicut in antecessum § 16 jam diximus; his, inquam, relatis, idem chronographus factum ibidem exponit a num. 3, e quo conficitur, laudatum pontificem valde congrue et opportune sibi in ista protectione comitem adjunxisse virum nostrum sanctum. Nam Lotharius in demissa illa sui abjectione in gratiam Innocentii, in propriam, ut loquitur Manricus, « utilitatem cuncta convertere, et vel ex ipsa pietate quæstum, ex religione potentiam intentare, ne gratis Innocentio famularetur, investituras usurpatis olim Ecclesiæ, sed a Callisto secundo, ut supra vidimus, vindicatas constanter, inter obsequia repetere ausus est, ratus pontificem tunc adhuc Romæ exsulem, imo et profugum, eoque ejus ope indigentem adversus æmulum, nihil sibi petenti negaturum, cui vel tacenti solum et acceptanti omnia indulgenda forent ab Anacleto. Hic major Innocentii conflictus fuit, si concessisset, Ecclesiam pene prodentis, quippe ementis tiaram de Petri juribus, imo de verò Christi patrimonio, eoque jam indigni pontificatu, sed destituendi a Lothario si resiliet, atque ipsa illius regis desertione Ecclesiam diu divisam quassatamque, amplius atque hostiliter divisuri. Tunc primum sensit, Bernardum nequaquam casu nec humano consilio illuc venisse, neque rebus